



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Judiciis Ecclesiasticis Ad Germaniæ Catholicæ  
Principia Et Usum**

De iudiciis criminalibus

**Zech, Franz Xaver**

**Ingolstadii [u.a.], 1766**

Titulus XXI. De Sortilegiis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68185)



phemias vel viderunt, vel audierunt, & tamen ad Judicem non detulerunt: is ipse Judex autem se criminis & poenæ participem reddit, qui delicta hæc ad se delata non punit, sed potius dissimulatione sua fovet, præsertim ex inepto illo principio: *Ubi non est accusator, ibi non est Judex*, cum tamen in publica platea fors ipse talia frequenter audiverit. Sic gravem reprehensionem commeritus est Magistratus, qui hominem mentis impotem non coercuit, cum sæpius per publicas vias blasphema dicteria magnis clamoribus effutiret: existimatum enim, venenatas aquas ab urbe averti debere, per quoscunque canales illæ auribus juventutis se insinuerent.

## TITULUS XXI. DE SORTILEGIIS.

*Conf. Lib. V. Decretal. Tit. 21.*

*Agitur*

§. 244.

*hoc loco de Sorti-  
bus divi-  
natoris.* **P**ER Sortem intelligitur signum eo sine assumptum, ut ex ejus eventibus divinitu aliquid occultum innotescat. In Jure Canonico Sortilegia opponuntur geminæ virtuti, cum Justitiæ propter



pter falsitatem & deceptionem, quam continent; tum Religioni propter abusum rerum sacrarum, aut adhibitam operam dæmonis. Non agitur hoc loco de Sortibus licitis, quales sunt Divisorie ad lites dirimendas, vel dividendam hæreditatem: sed præcipue de Divinatoriis, quibus exquiritur notitia arcanorum, absentium, futurorum, præteritorum per media impropportionata. Ad quam materiam in latiori acceptione referatur omnis superstitio, ac etiam Magia, quæ mira præstat ope dæmonis.

§. 245. In dubium a quibusdam vo- *Magiana*  
catur, an in Novo Testamento de- *in novo*  
tur Magia, quam Christi morte sub- *Testa-*  
latam & abolitam existimant (58.) *menta*  
Hanc abolitionem desumunt ex Sa- *dari, ne-*  
cris Literis, juxta quas Dæmon liga- *gant ali-*  
tus & conclusus est in abyssu, ut non *qui:*  
seducat amplius gentes (59.): & lau-  
datur Christus, qui *exspolians princi-*  
patus & potestates, traduxit confidenter,  
*palam triumphans illos in semetipso* (60.):  
*cum*

---

58.) Editi de hac materia sunt varii libelli: *Arte Magica dileguata. Arte Magica distrutta. Ars Magica adserta.*

59.) Apocal. XX. 2.

60.) Ad Coloss. II. 15.



*cum tradiderit regnum DEO & Patri, cum evacuaverit omnem principatum & potestatem & virtutem 61.)*. Unde SS. Patres tradunt, omnem Magiam per Christum in nihilum reductam &c. omnia esse subjecta Christo. Accedunt Sacri Canones 62.), qui docent, quæ Magorum præstigiis fiunt, esse meras illusiones & phantasmata: habemus enim ab experientia, plerumque intercedere fraudes histrionum & circulatorum, sicut etiam ignorantiam occultarum virtutum. Insuper videtur dedecere Divinam Sapientiam, ut muliercularum, & flagitiosorum hominum libidini corpora & fortunas aliorum permittat.

*Affir-  
mant alii*

§. 246. His argumentis alii parum moventur; nam pleraque retorquentur in potestatem obsidendi corpora fidelium, & pelliciendi animos ad malum, quæ potestas Dæmoni per mortem Christi non omnino erepta est. Imminuit Christus tyrannidem dæmonis, præbuitque media eam evadendi. Hic semper fuit sensus Ecclesie, quæ preces fundit contra artes

61.) I. Corinth. XV. 24.

62.) C. 12. & 14. XXVI. q. 5.



artes diabolicas, præbet aquam benedictam, bullas cereas &c. Episcopi reservant sibi peccatum Magiæ, Principes gravissimis pœnis illud coercent. Si omnia, quæ vulgo Magiæ adscribuntur, fiant per deceptiones sensuum & illusiones phantasiæ; hæc ipsa contingunt per dæmones: cur non etiam vere fieri possunt opera dæmonis per Magum?

§. 247. Credunt aliqui, superbiam *Argu-* dæmonis vix permittere, ut se volun- *mento* tati & imperio mulierculæ submittat, *ducto ex* & ad ipsius voluntatem semper præ- *S. Scrip-* sto sit. Verum cum superbia dæmo- *tura,* nem incitet ad cultum, qui DEO soli debetur, sibi procurandum, simulque summum illius sit studium nocendi hominibus; ideo ad hos fines certius obtinendos ad vilissima quæque se demittit. Magiam morte Christi non omnino fuisse abolitam, ostendit exemplum Simonis Magi & Elymæ (63.): futuros etiam esse Magos Christus prædicit, qui *dabunt signa magna & prodigia* (64.). Sacræ Literæ, quæ dæmonem catena vincitum dicunt,

---

63.) Act. c. 8. & 13.

64.) Matth. XXIV. 24.



dicunt, loquuntur ad literam de persecutionibus universam Ecclesiam exagitantibus, & post tria secula sopitis, donec ad finem mundi resuscitentur. Prædicatur triumphus Christi de regno Satanæ debellato, qui potiebatur imperio mortis temporariæ per peccatum invecæ, ut per eam nos ad æternam mortem pertraheret: Christus autem hoc imperio dæmonem spoliavit, ut in ea morte non maneamus. Plenissimum autem effectum Mors Christi habebit post futuram Resurrectionem, cum evacuetur omnem Principatum &c.

*Ex SS.  
Patribus.*

§. 248. Ex SS. Patribus aliqui loquuntur de Magia destructa per Nativitatem Christi, quando tres Magi stella duce ad Christum adorandum pervenerunt, qui haud dubie omnem Magiam damnarunt. Alii loquuntur de secundo Adventu Christi, post quem omnia erunt subjecta Christo; nam sicut Idololatria, ita etiam Magia post primum ejus adventum non penitus fuit extincta: nec Oracula statim omnia cessarunt per totum orbem. Imminuta vehementer est potestas dæmonis, & dantur nobis efficacissima media eam vincendi:  
Non



Non permittit Christus, ut Magi aut  
Dæmones pro suo lubitu vim exer-  
ceant in nostram perniciem, sed isti  
tantum possunt, quantum DEUS fi-  
nit ad puniendos malos, vel ad pro-  
bandos bonos, uti apparet ex histo-  
ria Jobi. Autoritas S. Hieronymi non  
probat, extinctam esse omnem Ma-  
giam; nam is ipse in Vitis Patrum  
multa recenset exempla maleficii dia-  
bolici dissoluti: si dicatur deceptus  
falsis narratiunculis, saltem infertur,  
eum censuisse dari Magos. Omnes  
admittunt, fidem non esse adhiben-  
dam omnibus historiis, aut etiam  
assertionibus eorum, qui Magiam  
profitentur: omnibus tamen fidem  
denegare, prudentis non esse censent.  
De quodam Theologo & præstanti  
Concionatore Diocesis Ebroicensis  
narratur, quod demum se dæmoni  
mancipaverit: inter articulos hujus  
fœderis erat, ut iste in suis Concio-  
nibus acriter defenderet, nullos dari  
Magos. Nam, agebat dæmon, hac  
potissimum ratione stabiliendum esse  
suum Regnum 65.)

U

§. 249.

65.) HENRIC. MARIA BOUDON in vita  
P. SEÛRIN part. 3. c. 4. f. 313.  
*De Judic. Crim.*



*A propria experientia*

§ 249. Hæc in utramque partem referre visum est: me tamen non immitto in hanc controversiam decidendam. Id solum addo, me propriis oculis & sensibus ea percepisse, quæ ex aliorum relatione difficulter credidissem, sive ea vere facta sint, sive sensus mei delusi, certe non alia, nisi dæmonis opera contingere poterant. Hoc loco breviter trado, quæ ad præsentem Rubricam pertinere videntur. Si nullæ artes diabolicæ interveniant, gratulor Ecclesiæ Christi: si artes illæ per virtutem Passionis Dominicæ enerventur, gaudeo de Gloria Christi.

*Varie Divinationis species,*

§. 250. Loquendo imprimis de Sortibus Divinatoriis, primum Divinationis genus passim dicitur, quod fit per manifestam dæmonum invocationem, quod pertinet ad *Necromanticos* & *Pythones*, qui responsa accipiunt a dæmone, forma & corpore cuiusdam mortui induto. Secundum genus fit per solam considerationem dispositionis, vel motus alterius rei, quod pertinet ad *Augures*, qui ex avium volatu, garritu, aut aliis vanis observationibus; ad *Aruspices*, qui inspiciendo exta animalium; ad *Chiro-*  
*mantas,*



*mantas*, qui considerando lineamenta manuum; ad *Genethliacos*, qui ex horoscopo nativitatis; ad *Astrologos*, Judicarios, qui ex Astrorum observatione divinant occulta, vel futura. Tertium genus est, quando facimus aliquid in eum finem, ut nobis aliquid occultum manifestetur: sic feminae quaedam indagant, quem virum sint obtenturae. Huc referri potest ars inveniendi thesauros. Hoc secundum & tertium Divinationis genus, vel fit prorsus per meram deceptionem, vel per tacitam daemone invocationem.

§. 251. Præter Sortes divinatorias *Et Male-* intelliguntur hoc loco *Maleficia*, *sci-ficia*. licet ad inferendos morbos hominum aut brutorum, aut alias calamitates, vel etiam ad eadem removenda ope daemone. Huc pertinent Sortes *Amatoria* ad inflammandum amorem libidinosum; *Poculum Abortionis* vel *Sterilitatis*. Eo flagitiosius hæc fiunt, quo sacratiora adhibentur instrumenta, vel ad homines facilius decipiendos, vel ad cultum veri DEI polluendum.

§. 252. Divinationes ad detegenda *Divina-* occulta vel futura, varias semper *in-tiones ex*

U 2                      venit



*sacris &  
aliis li-  
bris:*

venit curiositas hominum. Ex libris fortuito apertis instrui se credebant veteres. De Sortibus Virgilianis loquitur ÆLIUS SPARTIANUS in Adriano Cæsare, & ÆLIUS LAMPRIUS in Alexandro Severo. Frequenter recurrebatur ad versus Sybillarum, quos propterea comburi iussit HONORIUS Imperator 66.). Christiani consulebant libros sacros, vocabantque *Sortes Sanctorum*. Unde juxta SS. Canones 67.) *Sortilegi sunt, qui sub nomine fidei religionis, per quasdam, quas Sanctorum sortes vocant, divinationis scientiam profitentur, aut quarumcunque Scripturarum inspectione, futura promittunt; Hi vero, ait S. AUGUSTINUS 68.), qui de paginis Evangelicis sortes legunt, et optandum est, ut hoc potius faciant, quam ad demonia consulenda concurrant: tamen etiam ista mihi displicet consuetudo, ad negotia secularia, & ad vitæ hujus vanitatem, propter aliam vitam loquentia oracula divina velle convertere; præsertim*

66.) De ejusmodi Sortibus loquitur S. AUGUSTINUS Confess. lib. 4. c. 3. item QQ. 83. quæst. 45.

67.) C. un. XXVI. q. 1.

68.) Epist. 119. nunc 55. c. 20.



tim si ad indagandum eventum pravi consilii id contingat. Sic narrante GREGORIO Turonensi 69.) , Clerici volente Chramno filio Chlotarii , libros Prophetiæ , Apostoli & Evangeliorum altari imposuerunt , pro divinando ex iis fortuito apertis successu rebellionis contra Patrem. Meroveus etiam 70.) librum Psalterii , Regum & Evangeliorum super Sepulchrum S. Martini posuit , totaque nocte vigilans petiit ut sibi Beatus Confessor , quid eveniret , ostenderet &c. In utroque casu parum favorabilia responsa reperta sunt , quæ tristis eventus confirmavit. Merito igitur hic abusus prohibitus fuit , *ut nullus in Psalterio , vel in Evangelio , vel in aliis rebus sortire presumat , nec divinationes aliquas observare* 71.) . Scimus tamen , ex fortuita lectione Sacri Codicis , aut libelli de Imitatione Christi sæpe hauriri optimos effectus , prout expertus est S. AUGUSTINUS ex lectione Epistolarum S. Pauli.

U 3

§. 253.

---

69.) Hist. Franc. lib. 4. c. 16.

70.) Ibid. lib. 5. c. 14.

71.) Capitulare III. ann. 789. c. 4.



Aut per  
diversos  
modos  
periculo-  
sos.

§ 253. Magis periculosa sunt alia  
vix indagandi occulta. Ad reperien-  
dum furem diversi adhuc hodie adhi-  
bentur modi : sollicitus deberet esse  
Magistratus , ut ejusmodi artes su-  
perstitiosa , vel deceptoriaz passim no-  
ta , exterminentur , cum experien-  
tia doceat , praeter gravissimum con-  
tra Religionem peccatum , exinde  
oriri detractiones , inimicitias , alia-  
que mala maxima. Quomodo per  
sortes reperitur reus homicidii in  
turba facti , declarant superstiosa  
Leges Frisionum 72 ). An tutior sit  
modus reperendi homicidam per vir-  
gulam divinatoriam , judicent alii  
73 ). Alios quosdam effectus hujus  
virgulae nolo negare : expertus ta-  
men sum *infelices manus meas* , prout  
vocat BASILIUS VALENTINUS , in qui-  
bus manet haec virga immobilis ad  
praesentiam cujuscunque metalli , vel  
aquae. Dictum mihi est , vel tempera-  
mentum meum non esse aptum ad  
hos effectus , vel virgulam non esse  
caesam sub facie caeli eisdem respon-  
dente :

72.) Tit. 14. m. f. 422.

73.) Historiam narrat M. DE VALLEMONT  
Traite de la Baguette Divinatoire c. 2.



dente : id scio , temperamentum meum non esse aptum ad superstitiones. Vanitas hujus virgulæ magis patet, quando adhibetur ad detegenda maleficia in ædibus vel stabulis defossa.

§. 254. Post Divinationes mentionem merentur Superstitiones, quæ censentur operari ex pacto tacito cum dæmone, scilicet si quis utitur certis rebus, quæ nec naturalem, nec supernaturalem habent virtutem producendi effectum speratum, nec ex institutione Divina, nec ex institutione Ecclesiæ, vel si causis naturalibus adjungantur characteres, vel figuræ, quæ non ad alios referuntur, nisi ad dæmones secreti talis conscios: si causæ naturales adhibentur ad producendos effectus supernaturales, E. G. ad cognoscenda secreta cordium, ad morbos in instanti curandos : si adhibeantur verba ignota, de quorum virtute nihil constat: si usurpentur verba S. Scripturæ ad producendos effectus vanos E. G. ut moveatur anulus vel cribrum, quin attingantur : si verba, quæ pronuntiantur ad obtinendum aliquem effectum, continent aliquam falsitatem

U 4

E. G.



E. G. quod Christus laboraverit fe-  
bri: si verba, quæ deberent reddere  
sanitatem, vel mitigare dolores ca-  
pitis, dentium &c. dirigantur ad Lu-  
nam, vel alias creaturas inanimatas:  
si immiscentur historiæ apocryphæ:  
si effectus superat virtutem medii ad  
illum producendum adhibiti 74.) si  
cum certitudine promittitur, recita-  
tis certis precibus, vel adhibitis sig-  
nis exterioribus, non esse aliquem  
vulnerandum illo die, non delapsu-  
rum ex equo, non futurum in pur-  
gatorio nisi ad certum tempus, visu-  
rum in morte B. Virginem: si cultus  
redditur DEO indebito modo, adhi-  
bita aliqua falsitate E. G. publicando  
falsa miracula, falsas revelationes,  
falsas

---

74.) Tales censentur figuræ Talismani-  
cæ quibusdam metallis sub certo fide-  
rum aspectu inscriptæ, de quibus GAR-  
FARELLI Curiosit. inaudit. C. 6. & 7.  
An literis, notis & numeris arcana  
aliqua insit vis, disquirit HERMANNUS  
HUGO de prima scribendi origine. c. 29.  
Varias figuras gemmis & anulis sub  
certo Zodiaci signo insculptas magna  
virtute pollere credabant olim, & forte  
etiam hodie, ut notat ABRAHAMUS  
GORLÆUS in Præloq. ad Dactyliothe-  
cam fol. 14. seq.



falsas Reliquias 75.) CONSTANTINUS M. 76.) videtur permittere superstitionosas artes ad bonum finem. Sed LEO Imperator 77.) has etiam incantationes damnat, quibus segetes & fructus curantur, aliaque bona, ut quidem videtur, suppeditantur: *Nos istiusmodi incantationes perniciosas esse persuasum habemus: Et ut boni quicquam inde manare credamus, induci non possumus &c.*

§. 255 Bene advertitur, varios effectus hodie deprehendi superstitionos, qui olim credebantur fieri, veltur: ex singulari dispositione Divina, quales fuerunt Purgationes vulgares per duellum, ferrum candens &c. vel ex secretis causis naturalibus, qualis est pulsus anuli ad vitri latera respondens horæ diei: quæ enim naturalis causa assignari potest, ut numerus

U 5 pul-

---

75.) Cum fraudes Arianorum passim notæ fuerint, hinc Synodus Cæsaraugustana II. Can. 2. anno 592. statuit, ut *Reliquia, in quibuscunque locis de Arianæ heresi inventa fuerint, prolata a Sacerdotibus, in quorum Ecclesiis reperiuntur, Pontificibus presentata igne probentur.*

76.) L. eorum 4. C. de Maleficis.

77.) Nov. Const. 65.



pulsuum in Italia respondeat horologiis ejusdem Provinciae; in Germania autem horologiis hujus regionis? Econtra multi effectus, qui possunt esse naturales, producuntur superstitiose, si adjungantur variae ceremoniae, vel observentur inutiles circumstantiae, quod solet contingere quando morbi implantantur arboribus. Eadem enim causa physica & materialis semper producit eundem effectum in iisdem circumstantiis physicis: his autem mutatis mutatur effectus: unde si variae adhibentur circumstantiae, observationes, ceremoniae tanquam necessariae, & tamen deberet idem semper prodire effectus; signum est, hunc effectum non esse naturalem, & consequenter superstitiosum, nisi ex institutione Divina, vel precibus Ecclesiae accedat virtus supernaturalis.

*Sape accedit abusus rerum sacrarum.* §. 256 Ad superstitionem etiam accedit, si ex simplicitate & bono animo res supernaturales adhibeantur ad effectus profanos, vel ad tales, ad quos res ejusmodi non sunt institutae. Sic S. AUGUSTINUS 78.) refert, quod

---

78.) Lib. 3. Oper. imperf. contra Julian.



quod devota femina ex Eucharistia  
fecit cataplasma applicandum suo  
filio cæco. Ad ALEXANDRUM III. Pon-  
tificem relatum fuit, quod mulier  
cupiens amplio rem viri sui amorem  
conciliare, suscepto corpore Christi,  
& in ore retento, eidem viro suo,  
antequam Eucharistiam deglutiret,  
osculum porrexerit: sed in pœnam  
irreverentiæ trajicere postea sacram  
hostiam non potuit, quæ in carnem  
versa, dentibus molaribus adhæsit,  
& supercrescente alia carne adhuc  
erat in ore, quando hæc ad Alexan-  
dram scripta fuerunt 79.). Viderint  
Viri docti, quomodo a superstitione  
vindicent ritus quosdam ab Ethnicis  
ad nostra usque tempora propagatos,  
quando appenduntur infantibus va-  
riæ figuræ contra fascinum; quando  
circa festum S. Joannis Baptistæ pas-  
sim homines inter varia lætitiæ signa  
transiliunt per ignem 80.). Similiter  
super-

---

c. 162. Alia de hac re dicta sunt de Jur.  
Rer. Eccl. sect. 2. §. 229.

79.) Vid. Append. ad Conc. Later III. apud  
HARDUIN. Concil. tom. 6. p. 2. col. 1863.

80.) De hoc ritu loquitur J. C. PAULUS  
L. 45 §. 3. ff. Ad Leg. Aquil. *Cum stra-  
menta ardentia transilirent, duo concur-*



superstitionem spirant sententiæ judiciales & excommunicationes late contra vermes, aliaque animalcula agros vastantia §1.)

*Maleficia vere dantur, & saepe finguntur.* §. 257. Sub nomine Sortilegii passim intelliguntur etiam *Maleficia*, seu artes nocendi aliis opera dæmonis. Si juxta dicta ad initium hujus tituli, supponatur, dari veros Magos, curandum tamen est, ut bene dignoscatur inter Magiam Naturalem, Artificialem, & Diabolicam. De prioribus consulantur Philosophi & Mechanici. Diabolica operatur mira per operam dæmonis vel explicitè vel implicite invocati. Si tendat ad damnum inferendum, vocatur *Maleficium*. Gravissimum istud crimen est, & frequenter involvit hæresin, imo Apostasiam a fide. Nec consultum, nec opportunum est, varias maleficiorum species recensere. Id adverto, quam impie varia mala inferantur a Magis &

---

*rerunt, amboque ceciderunt: & alter flamma consumptus est: nihil eo nomine potest agi, si non intelligatur, uter ab utro eversus sit.*

§1.) De hoc ritu Vid. THEOPH. RAYNAUDUS Opusc. Moral. de Monitor. Eccles. p. 2. c. 1. & 12.



& veneficis, tam inepte grandines, tempestates, varios hominum & animalium morbos passim imputari artibus Magorum & Sagarum, cum Sacra Scriptura semper inculcet, ea mala provenire a Deo, sapientissimo Governatore omnium elementorum 82.)

§. 258. Quærun Theologi Mora-*Solvi po-* les, an & qua ratione solvi hæc Ma-*test pa-* leficia possint. Certum est, licere *sum da-* & debere destrui omnia opera dia-*monis:* boli, removeri ejusmodi ligaturas, corrumpi ac comburi, quidquid ex pacto diabolico positum, defossum aut constructum videtur. Unde potest advocari ipse Magus, ut instrumenta maleficii tollat. Ope dæmonis sæpe sub cute carni Magorum inseruntur particule ad Eucharistiam adhiberi solitæ: (an consecratæ sint, vel non, nobis discernere non licet: certe mancipia illa diabolica consecratas dicunt) eximendæ illæ mox sunt, cum servire soleant ad sacrilegas impietates 83.) Id semper cavendum, ne  
pa-

---

82.) Contra tales eleganter simul & vehementer invehitur S. AGOBARDUS tract. de Grandine & Tonitruis.

83.) Quidam in mea præsentia has parti-



pactum diaboli solvatur novo pacto: istud enim non licere, apud omnes compertum est. Quæritur autem, an novi pacti speciem habeat, si quis conditionem illam ponat, qua posita dæmon se non nociturum asseruit? Licet omnino ponere talem actionem, quæ aliunde scilicet a DEO, vel per preces Ecclesiæ habet vim cohibendi potestatem dæmonis. E. G. si dæmon Mago promittat, se ad ejus voluntatem in certa quadam occasione nociturum, nisi vino misceatur aliquid de Benedictione S. Joannis. Licita utique est hæc mixtio, non propter pactum diaboli, sed quia ex dictis diaboli, quem DEUS nunquam adigit ad dicendam veritatem, innotescit mihi, illam benedictionem in tali occasione habere vim repellendi dæmonem ex voluntate DEI, & per preces Ecclesiæ. Potest  
 e.

---

culas carni sub cute inhærentes, tanquam fabulam anilem explodebat, sed me in suam opinionem pertrahere non potuit; cum ego ipse plures ejusmodi particulas ex brachio cujusdam femine eruerim, dæmone interim, durante hac operatione, manifesta gravis indignationis suæ indicia & minas prodente.



etiam DEUS rebus quibusdam naturalibus dare istam virtutem ad confundendum dæmonem, & in ipsius contemptum, prout communiter dicitur de herba Rutæ; & in libro Tobię legimus de jecore piscis. Si autem talis notitia non habeatur, & actio solummodo ponatur ex ea ratione, quia dæmon promisit, se sub ista conditione non nociturum; hoc aliquibus videtur superstitiosum, vel saltem nimium defertur dictis & promissis diaboli, cujus vim vult homo cohibere non per alia media, quam quæ ipse præscripsit, cum vera & viva fides in Christum longe alia media suppeditet. Sicut enim Magus superstitiose agit, qui ponit actionem ex pacto cum dæmone, quia dæmon promisit se nociturum posita hac actione: sic alius superstitiose videtur agere, si ponat aliam actionem ex ea ratione, quia dæmon dixit, se non nociturum posita hac actione.

§ 259. Vulgaris est persuasio, ex *Non pacto* diabolico mihi damnum posse *men per* inferri, si saga tangat, vel palpet *novum* manum meam: nullum autem dam- *pactum.* num sequi, si mox leviter repercutiam ejusmodi mulierem. Hanc re-  
per-



percussionem hoc animo factam, non esse meram solutionem pacti, nec aliunde vim habere avertendi malum, consequenter fieri superstitiose ex illo pacto, quod dæmon cum saga inuit, sibi persuadent nonnulli. Insignes tamen Theologi censent, ejusmodi repercussionem non esse superstitiosam, cum ex una parte sit actio per se indifferens; ex altera parte nullum habeam pactum cum dæmone, sed solummodo impediatur actio dæmonis mihi nocitura, sicut juxta dicta possum destruere ligaturas, aut alia instrumenta Magorum. Repercuciendo non censeor habere firmam fidem dæmoni; sed suspicio mali, quam habeo ex communi persuasione, potest sufficere ad ponendam aliquam actionem, per quam impediatur istud malum, sicuti ex eadem ratione possum moveri ad omittendam aliquam actionem. Nam si solutio pacti fieri possit per puram aliquam omissionem actus, quem alias possuissem, id plerumque licitum erit, ex ea ratione, ne temere me exponam dæmonis insidiis, sicut non licet se exponere ejusdem tentationibus. Consideret quilibet, quænam ex dictis opinio.



opinionibus magis congruat virtuti Religionis.

§. 260. De artibus diabolicis con- *De ma-*  
queruntur sæpissime novi Conjuges. *lesiciis*  
Sicut enim severissime punienda est *conjugum*  
eorum scientia, qui magicis accincti  
artibus pudicos animos ad libidinem  
deflexisse deteguntur per philtrea &  
pocula amatoria 84.) : ita etiam de-  
testanda est ars reddendi maritos im-  
potentes ad consummandum matri-  
monium. Fit istud vel naturalibus  
medicamentis, & vocatur proprie  
*Veneficium*; vel opera dæmonis, &  
vocatur *Maleficium* 85.). Veneficia  
sæpe tolli possunt aliis contrariis me-  
dicamentis : contra Maleficia frustra  
adhibentur pharmaca; impie autem  
opponuntur aliæ artes æque super-  
stitiosæ. Veri modi solvendi illa sunt  
frequens usus Sacramentorum, pu-  
ritas conscientiæ, preces, jejunia,  
elemosynæ, exorcismi, peregrina-  
tiones ad loca sacra, & alia bona  
X opera,

84.) L. eorum 4. C. de Maleficis.

85.) Unde Rubrica Juris Canonici inscri-  
bitur *de Frigidis & Maleficiatis.*

*De Judic. Crim.*



opera, exercita cum vera fiducia in Christo, triumphatore inferni 86.).

*Difficilis est Processus in crimine Magia;* §. 261. Hucusque dicta pro intentione hujus opusculi non frustra in serenda duxi. Nunc propius ad scopum nostrum accedendo, omnibus harum rerum experientia nondum informatis, perspectum pro cautela deberet esse, quam difficilis, quam periculosus sit Processus contra crimen Magiæ; quam arduum sit determinare, an data indicia sint sufficientia ad Inquisitionem specialem, aut torturam, præsertim cum seductæ mulieres ipsæ nesciant, an revera diabolicis conventiculis interfuerint, an vero phantasmate in somno delusæ sint 87.). Plenior notitia de hoc singulari

---

86.) C. 4. XXXIII. q. 1. FEVRET de l'Abus l. 5. c. 4. n. 5. seqq. PAVLUS ZACCHIUS quæst. Medic. Legal. lib. 3. t. 1. q. 5. SANCHEZ de Matrim. disp. 94. seqq.

87.) C. 12. XXVI. q. 5. Canonis istius falsa est inscriptio, ut observat BALUZIUS ad Reginonem de Eccles. Discipl. lib. 2. c. 364. juxta editionem recentissimam Viennensem 1765. Circa doctrinam hujus Canonis legi potest Jo. PORTAS Dictionar. Cas. Consc. V. Sortilegus cas. 2.



singulari Processu in hoc opusculo a nemine expectabitur 88.). Id nobis superest, ut subjungamus pœnas huic crimini ab utroque Jure statutas.

§. 262. Crimen Sortilegii, Veneficii, Magiæ &c. est mixti fori. Si <sup>Pœna</sup> ~~hujus criminis.~~ junctum sit cum Hæresi vel Apostasia, cognitio pertinet ad Judicem Ecclesiasticum. Videmus tamen hodie, quod cognitio horum criminum, si rei sunt Laici, simpliciter relinquatur Judici seculari. In Legibus Civilibus est pœna capitalis: *Venefici capite damnantur, qui artibus odiosis, tam venenis, quam susurris magicis homines occiderint, vel mala medicamenta publice vendiderint 89.).* Supplicio capitis ferietur gladio ultore prostratus magus, & ceteri quos maleficos ob facinorum magnitudinem vulgus appellat 90.). Juxta  
X 2 Con-

88.) Videri possunt FRÖLICH de Frölichsburg Nemes. tract. 2. lib. 1. tit. 3. FERD. WAIZENEGGER, Professor Ingolst. de Maleficis. Tract. qui inscribitur Cautio Criminalis, seu de Processib. contra Sagas.

89.) §. 5. v. eadem lege. Inst. de publ. Judic.

90.) L. 5. seqq. C. de Malefic.



Constitutionem Criminalem CAROLI V. 91.) Magi & Venefici, qui artibus suis damnum intulerunt, supplicio ignis plecti debent: de aliis, qui nullum damnum inferunt, consulendi sunt Jurisperiti, ut juxta qualitatem delicti pœna statuatur. Qui autem abnegata Fide christiana dæmoni se mancipant, carnaliter cum eo commiscantur, vel sacrilege abutuntur rebus Sacris, ignis supplicio plectuntur, etiamsi nemini damnum inferant. Si Reus sit Clericus, excommunicatur, deponitur, degradatur, & traditur Judici Laico, si Magiam exercuerit cum negatione veri Dei, adoratione dæmonis, aut damno aliis illato. Ob crimen divinationis, sortilegii absque expresso pacto cum dæmone, item si Clericus operam suam præstet ad reperiendos Thesauros, ad benedicenda instrumenta superstitionum, arbitraria sunt pœnae, suspensionis, depositionis, incarcerationis &c. Clericus, qui non per expressum pactum cum diabolo, sed ex inspectione Astrolabii voluit recuperare



cuperare furtum cujusdam Ecclesiæ,  
per annum suspensus fuit ab Altaris  
ministerio 92.).

X 3 TITU-

---

92.) C. 2. de Sortileg.

Canones & Leges, quæ pro diversis sor-  
tilegiorum speciebus, pœnas statuunt, ac-  
curate recenset PAULUS GRILANDUS de  
Sortilegiis quæst. II. & seqq. In Bullario  
Romano Cherubini recensentur variorum  
Pontificum Constitutiones super istis Crimi-  
nibus. Tom. I. Const. JOANNIS XXII. *super*  
*illius.* fol. 177. INNOCENTII VIII. *Summis.*  
f. 339. LEONIS X. *Honestis.* f. 456. HADRI-  
ANI VI. *Dudum.* f. 461. Tom. 2. SIXTI V.  
*Coeli & Terra.* f. 388. Tom. 3. GREGORII XV.  
*Omnipotentis.* f. 327. BENEDICTI XIV.  
Tom. I. sui Bullar. in append. N. 8.

Curiosæ eruditionis gratia, sed cum sale  
discretæ crisis, legi possunt THIERS, LE  
BRUN, SPRENGER & alii contenti in Volu-  
minibus, quæ inscribuntur Superstitions An-  
ciennes & Modernes, Malleus Maleficarum  
&c. Item DEL RIO Disquisit. Mag. lib. 5.  
Cavendum tamen a doctrinis WIERI, BO-  
DINI &c.



326 Sect. II. Tit. XXII.  
TITULUS XXII.  
DE USURIS.

Conf. Lib. V. Decretal. Tit. 19. Sext. Tit.  
5. Clement. Tit. 5.

§. 263.

*usura*

POSTQUAM locuti sumus de Crimi-  
nibus contra Fidem ac virtutem  
Religionis, nunc dicendum de Cri-  
minibus contra Justitiam, præcipue  
circa Bona temporalia proximi. Pri-  
mum se offert frequentissimum & per-  
niciosissimum Crimen *Usuræ*. Edidi  
ante aliquot annos Dissertationes tres  
inscriptas: *Rigor Moderatus Doctrinae  
Pontificiæ circa usuras*. Ex his aliqua in  
compendium redacta, ob graves ta-  
men rationes satis fuse, sub hac Ru-  
brica exhibere visum est, iis omissis,  
quæ contra Adversarium quendam  
ibidem inserta sunt, aut jam tractata  
in prioribus opusculis 93.). Qui  
plura petit, consulat GIBALINUM de  
Usuris, & alios Scriptores in dictis  
Dissertationibus allegatos.

*Defini-  
tio:*

§. 264. Per usuram hoc loco intel-  
ligimus *Lucrum ultra sortem ratione Mu-  
tui*

93.) De Jure rer. Eccl. sect. IV. tit. 5.  
de Mutuo. item tit. 12. & 13.